

DISSERTATIO
SECUNDA
DE
HISTORICA,

Quam
AMPLISSIMÆ FACULTATIS
PHILOSOPHICÆ CONSENSU
PRÆSIDE
M. PHILIPPO JACOBO

Hartmann/
Publico Eruditorum
examine subicit

ANDREAS à Leßgewang/
JUN.

*Ad diem April. MDC LXXV.
Horis locog, consuetis.*

REGIOMONTI,
Typis FRIDERICI REUSNERI, SEREN.
ELECT. BRAND. ET ACAD. TYPOGR.

diss. A

59

a. XLVII. 59.

HISTORIA

AMPLISSIMA FACULTAS
THEOLOGICAE

M. PHILIPPO JACOBO



Publico Examinando

ANDREAS

ALPHONSO

WOLFGANG

THEODORICUS

FRANCIS

V. Porro ergò indagandum, an historia ita sit ars, ut includatur aliquâ alterâ, tanquam pars includitur toto. Hæc sententia Ciceronis, qui *l. 2. de Orat. c. 9. 12. seqq.* Historiam sub Rhetorica complectitur, quod Oratoriæ proprium sit tradere verborum scientiam, & Oratoris munus scribere Historiam, nisi hanc cum rudibus veterum annalibus velis confundere; illud quod probat exinde, quia apud Græcos non solum ad causas dicendas, sed ad Historias scribendas excoluerint Oratoriam; Quam in rem Herodotum, Thucydidem, Syracusium Philistium adducit. Probat etiam ex eo quod *CL.* Rhetores fuerint iidem Historici Theopompus & Ephorus, atque alii. Hinc exponit, quod alii Rhetores hæc silentio præterierint, quod nempe in eodem silentio multa alia Oratorum officia jacuerint, quæ ibi enarrat Ciceronis sententiæ ad stipulantur *Viperan. de Histor. scribend. c. 5. contra Patritii dial. 10. de Hist. Robortellus.* Verum eadem ratione & Pœtica pars Rhetoricæ foret, foret & Dialectica; Nam utraque etiam, Pœtica imprimis facundiam & verborum scientiam requirit; Sed uti Pœtica, licet figuras plurimas communes habeat cum Rhetorica, tamen stylum habere dicitur peculiarem, & distinctum à Rhetorico, ita etiam Historicus, quamvis quædam quæ & Rhetor usurpat, ad sua transferat, propterea tamen non minus diversa scribendi ratione gaudet. Illud quod in seqq. reddetur illustrius, quando de Historica elocutione tradendum erit. Neque ex eo, quod Rhetoricam excoluerint Historici, sequitur, E. Rhetoricæ pars est Historica; uti non sequitur, quia oratores student Dialecticæ, E. Oratoria est pars Dialecticæ. Multo minus exinde Historica pars Rhetoricæ evincetur, quod Oratores clarissimi scripserint historias, non enim ut oratores, sed ut Historici eas scripserunt. Neque illa præcepta, quæ *Cic. l. c. tradit*, satis sunt ad Historicam scientiam docendam, amplior hujus est facultas, quam quæ paucis illis comprehendi

F

possit;

Disputat
Respon
Andrea
Ephorus
Nob. Pru

possit; Delineatio aliquo modo esse poterit, quæ si exprima-
tur perfectè, jam ex illo manifestum erit, in quantum excedat
Rhetoricam. Quod vero Historica non possit esse pars Gram-
maticæ, liquet ex illo Sexti Empirici, quod nusquam tradide-
rint Grammatici scribendæ historiæ rationem: & fallunt alia
omnia æquivocatione, quod Historice alio sensu dicitur pars
Grammaticæ, uti ex superioribus constat, non quæ doceat scri-
bere historiam primo talem, sed quæ exponat, quæcunque tra-
duntur ab autoribus, sive illa vera sive falsa, sive singularia, sive
universalia, sive contemplativæ, sive Practicæ, sive Effectivæ
Philosophiæ, quatenus nempe disquiritur, an hæc vel illa sint
hujus vel illius autoris, an illud à Poëtis de hoc vel illo trada-
tur &c.

VI. Relinquitur E. quod Historia sit ars, & quidem talis,
quæ peculiare membrum Philosophiæ, quodque non sub alio
sit comprehensum, constituat. Cum verò artium aliqua sint,
quæ quavis alia corporis parte tanquam instrumento ad ope-
ris sui absolutionem utuntur, & dicuntur Practicæ; aliqua au-
tem solius linguæ vel sermonis ope suam absolvunt operatio-
nem, & dicuntur Logicæ; aliæ denique & linguæ & manuum
aliarumque corporis partium ministerium ad efficiendum,
quidpiam requirunt, & dicuntur mixtæ: Historica illis accen-
senda venit, quæ Logicæ dicuntur, atque linguæ adminiculo
suum expediunt munus. Quod sane si nihil aliud, illud cer-
te optimum antiquitatis probaret institutum, quo non solum
Orationes, aut Poëmata, sed etiam Historiæ in frequenti con-
cione recitabantur; Cujus testis *Plin. 7. epist. 17. Et Suidas Λο-
γοποιός. Suidas Ουκείδης: Hic dum adhuc esset puer, audivit He-
rodotum, qui suas Historias Olympiæ recitabat, quas conscripserat,
Et quasi quodam furore divino percitus, lachrymis est repletus Et c.*
Idem testantur *Atbenæus Deipnosoph. l. 14, 3. Gellius N. A. 18, 5.*
Contra vero quod non sit Logica ars statuere videtur *Vossius*
qui

qui c. 4. negat Historiæ genus esse narrationem, immemor
 quod c. 3. ἐξηγητικὴν seu narrativam historiam proprietalem
 dixerat. *Patritius quoque dial. 3.* scrupulum injicit, quod Histo-
 ria non literis primum, sed ipsa rerum effigie sculpta fuerit, cu-
 jusmodi ab Ægyptiis sacri characteres nuncunpantur, Verum
 quod Patritium spectat, concedat necesse est, antequam scri-
 ptura inventa, fuisse tamen historias; atque ut *Joseph. l. 1.*
contra Appion. De Homeri poemate disferit, quod illud non
 fuerit literis relictum, sed cantibus memoria reservatum, po-
 stea compositum; ita etiam rerum gestarum memoria sermo-
 nis traditione ad posteros propagata fuit, donec literis inven-
 tis, quæ nihil aliud quam characteres sermonis essent & signa,
 historiæ consignari possent. Exinde historia potissimum nar-
 rari cœpit aut scribi, quod hæc apprimè commoda instrumen-
 ta artis historicæ haberentur, non item pictura, sculptura, sive
 etiam alia, quæ nec rem gestam ita exprimere, nec adeo æterni-
 tati consecrare aptè possunt. Ut *Theodoret. hist. Eccl. l. 1. proœm.*
babet: Ad Vossum illud notandum, quod confundat varias si-
 gnificationes, cum αὐτοψία h. m. faceret historiam, quam ta-
 men ab illa distinximus; Neque enim αὐτοψία proprie est hi-
 storia, sed quod αὐτοψία sequitur, ut aliquis fidem faciat, de
 rebus quas vidit: quomodo autem absque sermone sive ora-
 tione fidem faciet? nempe uti disputabit idem absque loque-
 la cum Tacito; mutus item docebit Pythagoricum, quæ ab-
 surda ex illa Vossii hypothese fluunt. Logica ergo erit ars Hi-
 storica, quæ sermone utatur ad efficiendum suum opus; sed
 cum alius sermo sit metris illigatus, alius verò illis solutus, u-
 troque quidem traditæ sunt Historiæ, sed magis soluto. Fue-
 runt tamen qui carmine conscripserunt historias. *Suidas* Ἀε-
 σείας fecit carmina, quæ vocantur *Arimaspea* (Ἡ ἀεμασπέια κα-
 λέμεθα ἔπη) Ἵσι δὲ ἰσοεία *Arimasporum Hyperboreorum.* *Hero-*
dianus 2, 15. tradit, quod res gestas Severi cum plerique Historiæ

autores tum maximè Poëtæ versibus suis uberrime sint execu-
ti, materiam totius operis, ipsam denique Severi vitam deli-
gentes. *M. Annaei Lucani Pharsalia*, seu de bello civili Cæsaris
& Pompeji, observat etiam in his libris ordinem, quo res ge-
stæ sunt, prout Historicum decet. *Tacitus de Situ, Moribus, &*
populis German. Celebrant Carminibus antiquis (quod unum ap-
illos memoria & annalium genus est) *Tuistonem Deum terra edi-*
tum & c. l. 2. annal. sub. fin. De Arminii morte: *Caniturq; ad-*
buc barbaras apud Gentes, Græcorum annalibus ignotus, qui sua
tantum mirantur: Romanis haut perinde celebris, dum vetera
extollimus, recentium incuriosi conf. hanc in rem & Arist. de Poët.
c. 9. Dubium autem esse possit, an rectè versibus comprehen-
dantur historiæ: *Ecce, inquit, Petronius, belli civili ingens o-*
pus quisquis attigerit, nisi plenus literis, sub onere labetur. Non
enim res gesta versibus comprehendenda sunt, quod longe melius
Historici faciunt, sed per ambages, Deorumq; ministeria & fabulo-
sum sententiarum tormentum precipitandus est liber spiritus, ut
potius furentis animi vaticinatio appareat, quam religiosa oratio-
nis sub testibus fides. **H. I.** Quibus plane diversam Poëmatum
& Historiarum rationem indicare voluit, atque satius esse so-
lutum tantum sermonem attribuere Historicis, quod etiam
usum approbare intelligimus.

VII. Quibus cognitis de Fine artis Historiæ erit dis-
quirendum, siquidem circa illum admodum Autorum vari-
ent sententiæ, dum alii Jucundum, alii rerum gestarum me-
moriæ, alii denique dicendi elegantiam, aut copiam ejus fi-
nem putent. Quas tres illustriores sententias perlustrabimus
ordine. Quoad primam autem qua asseritur Jucundum Fi-
nis Historiæ sive Delectatio, illam adstruere videtur ipsa expe-
rientia, quod plurima pars hominum, saltem eum in finem
ad lectionem historiarum accedat; *Vid. Cic. l. 5. de Fin. ubi*
studia propter se expetenda probat. conf. Plin. 5. epist. 8. Et re-
vera

Vera nisi jucundum finis esset Historiæ nullum foemininus sexus ex illa caperet usum, quod tamen videtur absurdum; cum non minus muliebri genus, quam virile ad lectionem historiarum invitetur; Quod idem sexus non solum legendæ, sed & scribendæ historiæ capax sit, cujus egregium exemplum apud *Balduin. l. 1. prolegom. de Instit. Hist. &c.* exstat. Præterea Jucundum, usum esse historiæ proprium probare videtur, quod maximè illud ex lectione ejus obtineatur. Hinc morbo quosdam liberatos legimus, legendo historias. Quodque propterea argumentum maximè jucundum sumant Historici: uti Herodotus propterea commendatur. Hinc *Liv. in proem. §. 6.* excusat quod *Origines* scripserit: Et *Justinus præfat. §. 4.* dicit omisisse se quæ cognoscendi voluptate non fuerint jucunda. Et *Dionys. Antiq. Roman. l. 1. c. 8.* jucundum respicit. Et alibi loco inferius citando, primum hoc præceptum vocat Historico observandum, ut materiam eligat pulchram & quæ animos hominum voluptate perfundat.

VIII. Verum utut nos minime negemus magnam ex historiarum lectione oriri voluptatem; quæ enim major esse possit delectatio, quam cum illustribus viris familiariter vivere, illosque accipere hospites, quoties libros usurpare velis oculis, illico enim cum illis es una, colloqueris, lætaris, tristaris citra periculum. De qua voluptate sane prolixius *Cic. tradit l. 5. Epist. fam. 12. ad Lucej.* Quamvis verò tanta ex historia oriatur voluptas, minor tamen est, quam quæ Historiæ finis statuatur: Quippe quæ nec poëseos, cujus tamen maximè propria esse videtur, finis est proprius. Si vero jucundum Poëticæ finis non est, minus illud de historia diceretur, quæ longe pauciora voluptatis excitandæ adminicula adhibet, cum Poëta, præterquam quod ipsi fingere liceat, multis etiam aliis apparatus utatur. Deinde quod Jucundum finis esse nequeat Historiarum, ostendit, quod Historicus jucunda

admisceat atque adspargat propter alia sane, nempe ne animus
seria graviorum rerum meditatione langueat, sed digressioni-
bus quibusdam excitetur, ut eo alacrius ad lectas pensitandas
revertatur, & ita feliciter in usum vitæ civilis transferat. Quam
in rem egregia sunt *Luciani de scrib. hist.* Quemadmodum si-
ve inauratæ sint pilulæ, sive nuda forma, sive dulces, sive amaræ,
modo sint proficua atque utiles, juxta æstimatur; quamvis ut
ægroto eo facilius admittat medicamen salubre, gratia colo-
ris & saporis admiscetur à perito Medico. Porro quod viri gra-
visissimi non solum illas historias, quibus multum voluptatis
inest, quales sunt bellorum, præliorum & errorum in vitis il-
lustrium evolvant, sed & multo magis illas tristes, severas de-
LL. Rerump. ubi mens intentiori cura ita detinetur, ut non-
nisi ex consequenti demum usu aliquid voluptatis capiat. Mit-
to quod plurimæ historiæ ex barbaris seculis aut ex nimis anti-
quis nullos colores habeant, quibus illorum possit commen-
dari gratia, & tamen avidè à prudentibus leguntur, quod non
minorem ex illis, quam ex nitidissimis sæpe hauriant usum.
conf. *Josephi de bell. Jud. proleg.* Ut vero rationibus in me-
dium prolatis respondeatur: Quoad ultimam, ubi probaba-
tur, quod potissimum argumentum jucundum ab Historico
sumendum, illud verò nunquam concedi potest. Neque au-
toritates adductæ probant. Nam *Livius* dum excusat, se id non
observasse indicat; Melius nempe de usu Historiæ persuasus,
prouti ex ejusdem proæm. in seqq. apparebit. *Justinus* verò l.c.
dicit se cognitione quæque dignissima excerptisse. Omissis
his quæ nec cognoscendi voluptate jucunda, nec exemplo e-
rant necessaria; Quæ conjungenda sunt, non vero divellen-
da, atque ita nihil pro adstruenda sententia ex eo obtinebitur.
Quod vero *Dionysium Halic.* attinet, illum passim autores de
ea sententia notant. Quoad illum locum *cujusdam epistolæ ad*
Cn. Pompejum, in qua de Platonis stylo disferit, eum refutat Foxius
de

de Instit. Hist. & Viperan. de scribend. Hist. c. 6. qui hanc in rem
possunt consuli, eaque insuper ex jam dictis, partim etiam ex
inferius dicendis est clara. Quod illam rationem attinet, quæ
ex effectu voluptatis in historica lectione ipsum finem propriū
affirmabat: Non statim sequitur, si voluptas tanta ex historia,
ut etiam sanitati restituat, Ergo voluptas erit finis historiæ.
Quamvis enim per accidens ex voluptate historiæ aliquis sa-
nitatem recuperârit, quod etiam aliorum Autorum lectioni
accidere potest. Quamvis, inquam usus sit historiæ ut volu-
ptatem excitet, hic tamen quæritur nō simpliciter de usu quo-
cunque historiæ, sed de proprio & quem intendat. Multi au-
tem unius possunt esse usus, sed unus qui proprius, ille etiam
ejus finis *conf. 1. Pol. 9.* Herodotus verò quod voluptatem af-
fectarit, de eo etiam à quibusdam taxatur. Siquidem *Marcelli-
nus de vita Thucydidis præfixus editioni secunda Stephani sub fin.*
Ubi in Thucydide laudat, quod fabulis adversetur studio veri-
tatis: *Non enim fecit, inquit, quod alii Historiarum scriptores,
qui delectandi studiosiores, quam veritatis, fabulas in suas histo-
rias inseruerunt, digressionesque vitavit, quibus alii delectantur.
Cujusmodi sunt apud Herodotum — imo totus liber secundus ti-
tulum operis mentitur.* Illud vero argumentum, quod sequior
sexus aliàs ab Historica lectione excludendus foret, si jucun-
dum non esset finis, minime hoc probat, capaces enim sunt
& foeminæ usus aliūs præter jucunditatem civilis nempe ad fe-
licitatem Practicam, quatenus hæc in illas cadit sive cadere
potest, De quo *conf. 1. Pol. ult.* Atque hunc usum plurimas
cultiorum gentium foeminas obtinere testatur experientia,
Galliam, Belgium, Germaniam perlustrantibus.

IX. Altera sententia est eorum qui finem sive usum pro-
prium Historiæ putant Commemorare res gestas, illarumque
conservare memoriam atq; ad posteros transmittere: Pro qua
assertione nō solū autores, qui propterea maximè de neglectu
histo-

historiæ queri videntur, adduci possent, sed & *Liv. in proœm.*
§. 3. Utcunque erit, dicit, juvabit tamen rerum gestarum memo-
ria, principis terrarum populi pro virili parte & me ipsum consu-
luisse. Plin. 5. epist. 8. conj. Nicetas quoque hanc in rem egregia
in proœm. Annal. profert. Quid quod nomina sæpe adducan-
tur, nulla fere aliarum rerum facta mentione, ubi sane alius
usus, concipi non potest, quam qui in memoria est, sive in
conservatione eorum nominum: sicut ap. Liv. l. 1. c. 3. Quan-
do Amulii sive Numitoris Genealogiam recenset, mera mayo-
rum nomina occurrunt. Quamobrem Genealogici, annales
& Chronici, quamvis res gestas simul allegent, parcè tamen id
faciunt, contenti solum ita annotasse, ut memoria quomodo-
cunque possit conservari. Atque ita usum historiæ esse rerum
*conservare memoriam non semel *Dionys. Halic.* asserit, uti vi-*
*deri potest ex l. 1. *Antiq. Rom. c. 4. 5. 6.* Sed & hoc confirmare*
videtur, quod memoria rerum gestarum æque apud autores ac
*ipsum Historiæ nomen promiscue usurpetur. Ita *Sallust. de**
bell. Jugurth. c. 4. Isid. Orig. 1, 40. Historia autem ideo monu-
menta dicuntur, quod memoriam tribuunt rerum gestarum. Quin
quod illa ipsa memoria rerum gestarum sit sanè maximi ulus
in Politicis. Dum enim incorrupta servantur monumenta,
hinc multa probari possunt, ita facta esse & non aliter, aut ad
hosce vel illos, hæc vel illa pertinere jura. Atque ex data cau-
sa diplomatibus communiter præfigitur solenne illud, ad per-
petuam rei memoriam, simul & de usu hujus memoriæ adjici-
*tur. Ita in corpore *Historiæ Polonæ tom. 1. Prilusius diplomatum,**
duorum Pralatorum Litvæniæ anno 1401. & alibi passim. Et
deciduntur ex tali rerum memoria controversiæ inter Princi-
*pes non ignobiles. Sic ex gr. ap. *Albert. Wijuck Kojalowicz Hist.**
Litv. part. 2. l. 8. & l. 5. Eundem usum Historiæ etiam suum
*facit *Lipskius dec. quest. publ. 1. n. 9. & 5.* ubi probat ex historiis*
ius decimarum in Polonia, & Historiam tanquam publicum
testimo-

testimonium habendam asferit. Porro distinguitur hoc modo ratione Finis Historia à Poësi, quod nempe Historiæ magis memoriam rerum conseruent quam poëmata. Et quidem cum veritas fundamentum sit historiæ, quod in confesso est, memoria autem rerum nihil aliud sit quam illa ipsa veritas. Atque in hac sententia præter alios quam multos etiam *Famian. Strada fuit, l. 2. Prolusion. 2.*

X. Verum ut in rationes brevibus inquiramus, quamvis multi fuerint, ex Ethnicis imprimis, qui hoc unice intenderint, ut monumentis Historiarum mortalitati irent obviam, tamen is Finis Historicorum fuerit, aut eorum qui suas res gestas voluerunt scribi *conf. Plut. Comm. de Athen. gloria:* artis sane proximus esse non poterit, sed ad scopum reducendus aliquo modo: ut ex *Diod. Sic. Proæm. & Cic. 2. ad Atti. Ep. 5.* colligere licet. Quod vero Annales, Genealogicos &c. attinet, licet illorum finis esset memoria rerum gestarum, tamen Historiæ simpliciter dictæ finis non esset, quippe quæ longe ab illis distat, uti *ex præced. cap.* cognosci potest. Si autem Genealogiæ intertexuntur Historiis, præter quam quod ad fidem faciendam conferunt, evidentiam quoque adjuvant, uti memoriæ eo magis inhæreant ejusmodi in exemplum, ex gr. quod fortes creentur fortibus, quod Heroum filii aliquando noxæ &c. quod sane non tam bene de Numitore aut Amulio percepissemus, si absque ulla majorum serie Historicus saltem eorum gesta exhibuisset. Ad notationem vero nominis respondemus: concedendo memoriam rerum gestarum pro historia recte obtinere; verum exinde non probari proximum ejus finem esse memoriam. Uti quidem recte ars interrogandi eadem dicitur, quæ Dialectica, sed tamen proprius ejus finis non est interrogatio; uti & ars dicendi quidem pro Rhetorica venit, cum tamen dicere non sit finis Rhetoricæ, uti nec Poëtica est imitari aut effingere, quamvis ars fingendi

G

aut

aut imitandi dici possit. Quod vero ex eo probanda sumebatur memoria rerum gestarum, quod ex illa plurimæ controversiæ sive quæstiones facti deciderentur, atque ita usum in se contineret plenissimum. Illud quidem se ita non habet, ut maximus usus Historiæ ex memoria nuda esset: Non enim propterea ad agendum aliquis bona incitatur, quia solum meminit, sed quod ita meminit, ut credat, sibi aut bonum aut malum in vita eventurum juxta exemplum, & huic persuasioni inservit memoria. Licet vero per memoriam Historica à Poëtica distingueretur, hoc tamen nihil ad rem facit; Non enim per quod ars ab arte distinguitur, illud proprius ejus erit finis, uti ex inductione constat. Quomodo autem veritas fundamentum sit Historiæ, illud sequentia postea declarabunt.

XI. Tertiam demum illorum sententiam perlustremus; qui Finem sive proprium usum Historiarum statuerent copiam dicendi, dum Historia phrasium ac sententiarum elegantias suppeditat, aut si quæ alia, quæ ad Poëticam aut Rhetoricam dictionem plurimum conferre omnes fatentur. Siquidem sane constat quod non minimum laboris Historicus in illo ponat, non solum ut narret, sed ut tersè atque politè narret. Unde *Liv. in præm.* novos semper scriptores, ait, aut in rebus certius aliquid allaturos se, aut scribendi arte rudem vetustatem superaturos credere. Et videntur alias pueri semovendi esse à lectione Historicorum, quod repugnat experientia, cum ii utique genuini videantur esse auditores, qui semper manibus terunt Historicos. Id quod etiam *Polyb. l. 1. sub in.* innuit. Equidem concedendum magnum usum ad elocutionem sive Rhetoricam sive Poëticam Historicos conferre. *Diod. Sic. præm. Vid.* Siquidem cum res gestas describunt historici, simul etiam cum novæ res gestæ nominibus insigniantur novis, eadem opera & rerum & nominum exponunt origines: Atque Poëta & Rhetor respiciens ad illa prima nomina
colo-

colores aptè, qui conveniant originibus quærit. Porro cum
 Historici vis ea sit, ut perspicuè admodum narret, ad hoc vero
 requiritur, ut proprietates sermonis, cujus magister usus est, ac-
 curatè attendatur; Hinc & is fructus ex historica lectione, ut
 inde proprias & communissimas sive usu maxime receptas
 significationes vocum Rhetor & Poëta sumat, quibus suas me-
 taphoras & allegorias longa serie concinnè superstruat. In-
 super cum Historicus insignia tradat exempla, quæ ita impres-
 sit hominum animis, ut statim ad nomen vitiorum aut virtu-
 tum præsentissimam concipiant speciem; inde Rhetorica &
 Poetica suos sumunt Hercules, Numas, Fabios; eruditiones,
 quas quidam vocant, ex historiis inquam desumunt, atque il-
 lis dictionem, qualibet propriam, excolunt. *Inde Cic. l. 1. de*
Orat. §. 256. Inter ea quæ artem dicendi adjuvent, historiam
 ponit & prudentiam juris publici & antiquitatis iter, & ex-
 emplorum copiam, quæ posteriora etiam historiæ debent
 suam originem. *it. Orat. §. 120. Quintilian. Instit. Orat. l. 12. c. 2.*
 Accedit quod Historicus civilis, cum necessario sit vir pru-
 dentia atque experientia multarum rerum pollens, qui om-
 nem civilem Philosophiam penitus inspexerit, revera sen-
 tentias gravissimas & nervosas suis historiis inserat, quas rur-
 sus Rhetor & Poëta additis quibusdam pigmentis in sua trans-
 fert opera, de quo *Quintil. l. 3. c. 8. Et l. 6. c. 4.* dicit, erudi-
 tum etiam ex historia ducere urbanitatem. *Conf. Cic. l. 2. de*
Orat. §. 265. Non tamen hunc esse proprium usum sive Finem,
 atque ita neque primo intentum, sed propter aliud, liquido
 apparebit, si quis inspiciat, quæ de jucunditate dicta, cum ferè
 per omnia hic sit similitudo, atque ita etiam eadem militet ra-
 tio. Ut enim eo alacrius res aliquis percipiat, & absque tædio
 lectioni immoretur, ideo tersa quoque & minus aspera adhi-
 benda oratio. Si tamen hæc dictionis elegantia aberit ab Hi-
 storico, modo rem ipsam perspicuè exprimat, ut intelligi fa-

cile possit, nomen Historici minime perdet: prouti sane testatur experientia, quod antiquiores rudes licet artis dicendi pluris faciamus sapissimè quam recentiores. Dlugossum equidem licet non tam culta fuerit elocutio, nulli tamen recentiorum scriptorum Polonorum postponimus; Atque huiusmodi etiam in aliis rerump. Historicis obtinet.

XII. Quod vero rationem primam attinebat: Equidem sumat quippiam ex historiis Poëta, sumat & Rhetor, non tamen illa tanti erunt, ut propterea copia dicendi, dicatur finis Historiæ. Aliquantum quidem conferre potest ad illam, sed integram neque dare potest, neque etiam intendit, sicuti & in Historica non tractatur ars dicendi, sed solum quæ historiis competat elocutio, exponitur. De auditore vero genuino; id quod est majoris momenti, quamvis *Possevinus biblioth. l. 16. c. 13. sect. 1. tom. 2. dicat*: ætatem Historiæ studiis idoneam semper esse, teneriorem quidem ad mandanda memoriæ quæ audit; Perfectiorem autem ad perficienda aut efficienda, quæ percipit. Tamen propriè genuinum auditorem esse Historiæ puerum prorsus negamus. Atque in hanc rem potest legi *Whear part. 2. de ratione & methodo legendi historias, de idoneo lectore*, qui probat, quod Juvenis uti moralis Philosophiæ auditor, ita & Historiarum lector minus idoneus putandus: atque hinc Keckermanni atque Vossii Sententias inter se confert atque examinat, ita ut probet Philosophiam Practicam tam in legente Historias, quam scribente requiri; Atque puerorum & virorum in artibus versatorum lectionem Historiarum valde esse diversam. Ita etiam *Viperan. de scribenda hist. c. 18. & 17. statuit. Et Foxius de instit. hist.* Sed & *Lucianus quomodo scribenda Historia*: Quod locum Polybii: Dicendum multos esse usus Historiæ, possunt ergo juvenes alterius usus capaces esse, sed non tamen illico proprii, & sic neque genuini erunt auditores. Caterum multi, ut liquet, huc usque
à no-

à nobis cogniti historiæ usus, tam quod delectent, quam quod facundiam dicendi adjuvent, insuper & immortalitati nomina consecrent. Præterea sunt usus peculiare respectu scribentium; quale quid videre est in *Dion. Halic. antiq. Rom. l. 1. c. 6.* atq; *Josepb. A. J. 1, 1. in Diod. Sic. Proæm.* verum alius historice alius Historici finis erit. Cum vero finis Historice proprius non sit jucundum, neque nuda rerum memoria, sed nec copia dicendi, probandum restat, in quo alio ergo ille tandem sit constituendus.

XIII. Optime autem in notitiam Finis Historice pervenimus, si cognoverimus, propter quid primum Historia inventa? Et quidem quis primus scriptor fuerit Historiarum, de illo non una erit Autorum sententia. Ex Christianis pluri mi Mosen, quem etiam primum scripturæ autorem tradunt; Alii cum hunc Adamum esse velint, & illum primam historiã scripsisse, tradunt. De quibus sententiis Christianorum prolixè legere est ap. *Gassarem Schottum in techn. curios. l. 7. c. 7. De scriptoria artis prima inventione seu origine*, quam controversiam ita decedit, ut asserat primum, probabilissimum esse literas & scribendi artem non à Mose inventas, sed ante ipsum existisse; secundo probabilissimum esse, literarum & scribendi artem ab humani generis *πρωτο*-parente Adamo derivari. Veruntamen Historiarum Scriptor primus communiter celebratur à Judæis & Christianis Moses. Ita enim ex *Josepb. Ant. Jud. 1, 1.* & contra *Appion. l. 1.* colligere licet: *Evagrius Histor. Eccl. l. 5, 24.* *Isid. Orig. 1, 41.* *Historiam autem primus apud nos Moyses de initio mundi conscripsit. conf. l. 5, 1.* Quinam autem apud Græcos habeantur Primi Historici videre est passim ex *Suid. κἀδμος* de quo *conf. Plinius Hist. nat. l. 7. c. 56.* Quæ quis invenerit in vita: Historiam tradit invenisse Cadmum Milesium. *Suid. Φίλιππος*-fuit autem Discipulus Eueni, Elegiaci Poëta, qui primus ex arte oratoria Historiam scripsit. *Isid. Orig. 1, 41.* Apud Gentiles

verò primus Dares Phrygius de Græcis & Trojanis Historiam edidit: quam in foliis palmarum ab eo conscriptam esse ferunt. Post Daretem autem in Græcia Herodotus primus Historiographus habitus, post quem Pherecydes claruit iis temporibus, quibus Esdras legem conscripsit, Extat & Dictys Cretensis una cum illo Daretè Phrygio inter opera Diodori Siculi edit. Basil. An. 1578. Suid. Ἐκαστός. de quo vid. in Verbo ἰσορῆσαι Ἰσάουαζ. Idem de antiquissimis Græcorum Historicorū Δαμάσῃς; Ἴτ. Ἑλλάδικος. Quamvis à Josepho l. 1. sub init. contra Appion, prolixè proberur, quod Historici Græcorum non sint omnium antiquissimi. *Omnia siquidem Græcorum: inquit, nova & heri (ut ita dicam) nuperque facta cognovi: — cunctarumque rerum juniorum apud eos est Historia diligentia conscribenda. Apud Ægyptios autem & Chaldaeos & Phœnices (desino enim nos illis commemorare) sicut ipsi fatentur, res gestæ antiquissimam & permanentem habent traditionem. Quæ plurimis argumentis confirmat. Verum controversiam illam de primis scriptoribus Historiarum missam facientes, veritati putamus maximè consentaneum, cœpisse rerum gestarum narrationem propterea, ut ex similibus actionibus similes aliquis colligeret eventus; Ideo necessarium erat fidem facere de rebus gestis ut aliquis non solum crederet illas ita esse gestas, sed etiam exemplum inde caperet, ut si quando ipse subiret negotia, attenderet ad casus qui aliis eadem agentibus evenerint, ut exinde prospiceret, sibi quod ex usu; atque hunc finem etiam ponimus artis Historicæ, fidem facere de rebus gestis in exemplum.*

XIV. Quod antequam demonstremus plenius, prius illud dubium, quo fieri fidem posse de rebus gestis omnino negari videtur, animis eximendum erit. Qui verò tali sententia fuerint, inter illos esse & *Sextum Empiricum* locus supra citatus indicat: nempe ex eo, quod non omnes eadem de re eadem referant; tum quod potissima pars Historiarum in falsis
& fi

& figmentis consistat, quam quod non tradi possit iudex veræ
historiæ, ut examinemus, quando sit vera, & quando sit falsa,
cum omnes dicant incredibilia & falsa; Ex eo, inquam, ar-
gumentatur hic l. c. quod historiæ iudicium non sit artificio-
sum, ut per illud cognosceremus, quid falso & quid vere sit
narratum. Et *Lucian. l. 1. verarum historiarum* idem velle vide-
tur; Dum hoc satyrico opere Historicos præprimis perstrin-
git tanquam mendaces. in eadem sententia & *Sen. l. 7. que: Na-
tur. c. 16.* fuerit, *Meisnerus Diss. §. 15. fin.* ubi exemplo Historiæ
de LXX interpretibus, cui Scalig. animadvers. in Euseb. ad
an. 1134. unius Hermippi testimonio suffultus deroget, & de
Hannibale igne & aceto infuso sibi viam parante, cui ipse u-
nius Polybii fide fidem non habendam dicit; se probasse pu-
tavit, quod nec plurium & præstantiorum antiquorumq; ean-
dem rem narrantium testimonium veritatis index ac nota sit;
Quare, inquit, ut eo tandem, unde digressi sumus, redeamus:
Nulla historia humana certa & indubitata fidei est, etiam tum,
cum multi aut plerique, & ii quidem præstantiores ac multis secu-
lis ei testimonium veritatis perhibent — conf. §. 16. & cum his
omnibus egregia Patritii Dial. 5. disertatio in utramque par-
tem prolixius. Argumenta ejus ferè expresit Keckerman: in
comm. de Histor. natura & propriet. aphor. 5. ubi hanc historiæ
proprietatem facit, quod non possit esse omnibus modis cer-
ta, idque propterea primo quia singularia sunt infinita, infini-
torum autem nulla est certa notitia; secundo quia singularia
sensu potissimum cognoscuntur, impossibile est autem, ut o-
mnis Historicus omnia singularia, de quibus scribit, videat,
aut non fallatur in illa infinitudine circumstantiarum; cum
non possit omnibus singularibus, de quibus scribit, semper
adesse, neque admittatur ad omnia singularia, præsertim se-
creta. Quare si ex auditu & relatione aliorum aliquid accipit, fa-
cile etiam fallere illi possunt, qui referunt, & duci affectibus in re-
ferendo;

ferendo;

ferendo, aut etiam ipsi omnia videre non potuerunt, aut omnium etiam meminisse, quae viderunt. Concludit igitur nullam historiam esse indubitatae fidei, excepta historia sacra. Ad labefactandam fidem Historicam *ex Galeno* inter alia adduci possunt *ex l. de Opt. Secta c. 15.*

XV. Antequam vero ad solutionem objectorum accedamus, exponendum aliquid de fide, ut sciatur, qualis fides hic intelligatur: Tenendum igitur, quod fidem facere aliter potest dici, quando quod traditur, quomodocunque persuadetur, ut aliquis verum esse putet, licet quoque existimet, id aliter se etiam habere posse: Quomodo etiam fidem facere dici potest, qui ingenerat opinionem, uti credere in hoc significatu dicitur, qui opinionem aliqua de re fovet, ex. gr. qui opinionem habet de illo: Polygamiam esse illicitam, illi fides facta ut credat seu putet, ita esse posse, saltem quod dubius sit. Sed & docens fidem facere dici potest, & quidem ut quis non aliter se habere posse putet, ut si quis ex primis principiis reducendo ad finem actionum humanarum Polygamiam, & ostendendo quam longe ab hac mensura recedat, illicitam esse demonstraret, tunc quidem ille fidem fecit, ut discens credat, non posse aliter rem se habere. Verum alio adhuc modo Rhetorica & Poësis fidem facit, atque etiam historia: Neque enim quando Rhetor fidem facit de Polygamia; illud demonstrat ex primis, veris, necessariis, quod sit illicita; neque etiam in hoc acquiescit ut opinionem tantum ingeneret, & relinquat dubium adhuc, sed auditorem adeo non vult dubitare, ut potius statim agat secundum dicta, & ita fidem habeat rationibus suis verisimilibus, ut ad agendum id quod intendit disponatur; ex. gr. ut si plures habeat uxores, statim dimittat, quomodo Miecislao I. Christianorum Principum Poloniae persuasum aut si non habet, ut neque unquam plures ducat, prouti tale pluribus persuasum populis; Ita & Poëta quando fabulam
agit

agit & actionem talem imitatur, ubi Polygamia mala exprimantur, non solum vult ipsos Auditores opinari, seu quomocunqve credere, sed etiam secundum credita purgare animum affectu illo multorum amorum, quando certò sint persuasi rem ita se habere; quale apud Harsdorff, legitur in re aliquantum dissimili, nempe ut aliquis perditus filii illius prodigi fabulam spectans, ita fuerit purgatus affectu meretricii amoris, ut perditæ vitæ renunciarit, & cum illo prodigo homo frugi factus. Atque hæc est fides proprie dicta, quam quis facere dicitur, quando ita persuasit, ut non dubii reliquantur, sed certo dictis credant, atque secundum credita agant, quamvis non ex demonstratione infallibili fuerint edocti. Verum hæc fides fit duplici modo: aliter per argumenta artificialia, aliter per inartificialia, uti patet ex *1. Rhet. 15*. Maxime proprie est fides, quæ fit per argumenta inartificialia; & quidem cum hæc varia sint, ea quæ fit per testimonia, ad quæ testimonia reliqua inartificialia reducenda sunt. Et hoc modo proprie potissimum fides accipienda in Historia, quæ fiat imprimis per testimonia humana. Status ergo controversiæ hic erit: an de rebus gestis fides fieri possit, id est, an per argumenta inartificialia, seu per testimonia humana potissimum, possit probari, quod res ita sint gestæ & non aliter, ut quis indubitato credat. Quod si quis negare ausit, ille nec parentibus indubitato credere potest, se ex illis esse; ille & de eo an Roma fuerit, an etiam nunc sit, dubitet; idem nullam quæstionem facti probari posse in judiciis concedat, simul & justitiam, quæ secundum acta & probata judicat, tollat; omne denique humanum genus tanquam nullius fidei damnet; simul & fundamentum virtutum potissimarum evertat. Verum ut argumenta opposita expendamus, quoad *Galenum*, ille adversus Empiricos disputans, hoc solum probare annititur, quod sola historia non sufficiat ad medicam peritiam, sed etiam experientia propria,

H

& ra-

& rationibus opus esse. Quod vero Historia non sufficiat, probat ex eo, quia non omnium in morbis dari possit observatio. Historiam ergo dicit dari non posse talem, qualem Empirici volebant, sufficientem ad peritiam Medicam. Alias quam modestè ipse de Historia senserit, testatur *c. 6. de subfig. Empir. de Empirici differentia à dogmatico.* Rationes vero *Keckermanni & Patritii* contra Pædiam Historicæ exposcerent de omnibus singularibus, deque omnibus circumstantiis, in Historiis fidem, unde non Historia sed λεπτολογία quædam oriretur. De quibus in seqq. distinctius; sed & in memorata absurda impingunt, quasi non constaret amplius inter mortales fides: insuper præsupponunt, quod adhuc quæstionis est, an secreta sive arcana Historicæ immiscenda? Quodcunq; tamen sit, non opus est omni arcanorum notitia ad scribendam Historiam, modo illa tradantur, quæ cum suis circumstantiis alias rerum causas simul inferunt, ad quod iudicium Historici requiruntur. Eadem etiam *ad Meisnerum* reponenda. *Seneca* vero ibi Historicorum non Historiarum fidem impugnat. Historicorum plerosque mendaciis scelere innuit, de quibus pluribus consuli potest *Imperatoris Andronici concio ap. Nicephor. Gregoram l. 1. Historia Byzantina & ipse Gregoras subinit.* De causis cur veritatem tanquam Ducem sequi velit, in ejusmodi etiam Historicos sunt Satyrici illi libri *Luciani*; *Sextus* vero *Empiricus* ex eo quod non omnes de eadem re eadem referant, nihil adversus fidem Historicam obtinebit; neque enim testes rejiciuntur, licet non eadem planè, modo non contraria referant, quæ se invicem tollant. Et quod iudex tradi possit, illud tunc constabit, quando adducemus qualia illa argumenta sint, per quæ Historico res gestæ probandæ. Neque obest fidei Historicæ, quod nullus Historicus detur, qui non in aliquo exciderit fide: Quid si nec Orator ullus, qui non aliquando minus fidem fecerit; medicus qui non aliquando nesciat tollere

nodo-

nodosam podagram: non enim illico, quia artifex finem suum non obtinet semper, ideo is finis artis non est; Quamvis enim in definitis artibus, quæ habent materiam certam, quæ non possit repugnare, ita se res habeat; in conjecturalibus, ubi materia reluctari potest & resistere, aliter comparatum. Et non attenditur, an sanaverit Medicus, modo omnia quæ ad sanitatem faciunt, attribuerit; An persuaserit Rhetor, modo nihil artis suæ omiserit; an opinionem ingeneraverit Dialecticus, modo omnia probabilia rite interrogaverit: Ita & non attenditur an Historicus fidem fecerit de Æneæ adventu in Italiam, modo nihil eorum, quæ fidei de tam antiqua actione faciendæ congruant, omiserit.

XVI. Postquam ergo confirmavimus fidem Historicam, illud porro dilucidandum: fidem historicam fieri in exemplum, id est propterea probari ab Historico res verè gestas, ut quilibet ad similes actiones similes colligat eventus, ferè non dissimilem in modum, quo Empiricis aut etiam rationalibus Historia erat ob transitum ad simile, de quibus *Galenus de optim. secta ad Thrasyb. c. 16. seqq. & de subfiguratione Empir. c. 3. 11.* Verum tamen cæteris paribus. Atque consentit *Niceph. Gregor. l. 1. hist. Byzant. sub init.* cum inter causas, cur ipsum veritatem, quæ historiæ sit, quod animantibus oculus, tanquam Duce in suo opere sequi deceat; *tum ne cæres, inquit, quam veluti regulam & amum postea proponere statuimus, distorta & pernicioso morbo afflictæ videatur.* Hucque facit quod *Lucianus in tract. quomodo scribenda historia* subinde moneat, ad posteritatem esse respiciendum. Inter alia cum describerat, quomodo omnibus affectibus liberum velit scriptorem, veritati unicè intentum, hocque nomine Thucydidem præ Herodoto laudarat, dicentem se possessionem scribendo compositurum esse, quæ in perpetuum duret, potius quam quæ ad præsens certamen comparetur (*κτῆματα γὰρ Φησι μάλλον ἐς αἰετὸν σὺντέτα.*

συγγραφεύων ἢ περὶ ἐς τὸ παρεῖν ἀγώνισμα) Neque se id quod fabulosum
amplexurum, sed veritatem rerum gestarum relicturum posteris
esse: Deinde & utilitatem addit, & quem finem is qui recte sa-
pit historiae statuere debeat, ut si quando etiam rursus similia
quædam incidant, inquiens, ad hæc descripta respicientes, re-
bus civitatis recte uti possint. Ita etiam illud posteris scribe-
re *Philol. l. 1. de vita Mosis accipit.* De scriptoribus Græcis, qui
Mosen non memoria dignati, quorum major pars, inquit, fa-
sultate scribendi abusi sunt, tum in Oratione soluta, tum in poëma-
tibus — cum debuissent natura donis uti ad prodendas res gestas
vitasque bonorum virorum, ut nec honesta exempla vetera, no-
vaque traderentur oblivioni ac silentio, cum præluce possint po-
steris; nec omisissis melioribus argumentis auditu indigna antepo-
nerentur, prætexta probri honestatis specie. Huc etiam Tacitus
respicit, quando *sub init. l. 1. hist. conqueritur*, quod magna illa
ingenia, qui pari eloquentia ac libertate historias retulerant,
cesserint. Simul veritas pluribus modis infracta. Primum in-
scitia reip. ut aliena, mox libidine assentandi, aut rursus odio ad-
versus dominantes. Ita neutris cura posteritatis inter offensos
vel obnoxios. *Gregoras l. 1. hist. Byzant. sub init.* Dicit se præ a-
liis magni facere ac magnopere diligere, qui — historias dif-
persas & aliorum dicta factaque ad animi fortitudinem ac pru-
dentiam spectantia, suo labore collecta, ad maximam posteri-
tatis utilitatem ediderunt. *Quorum admiratio & emulatio*, in-
quit, nos ad imitationem impulit, hujusque conatus mihi causa
fuit. Neque recte à *Vossio* reprehensus *Lucianus*, quod ab ipso
utile statuatur historiae finis, verba sunt *ejus c. 5. de A. H.* Lu-
ciano finis ejus est τὸ χρησιμὸν hoc est utile. Nimis profecto
laxè. *Luciani vero verba in tract. de hist. scribend. illa: unum*
enim, inquit, opus historiae est & unus finis utilitas quæ ex sola ve-
ritate conciliatur: ἐν γὰρ ἔργον ἰσοείας καὶ τέλος, τὸ χρησιμὸν ὅσπερ
ἐκ τῆ ἀληθείας μόνῃ συνάγεται, quæ ex aliis seqq. alibi adductis illu-
strari

strari possunt; τὸ χεῖρισμον καὶ ὁ τέλος ἀντις εἰς Φρονῶν ἰστορίας. Durius vero à Maccio utilitas, commoditas & præclara vitæ humanæ institutio Historiæ improprie & accidentalis finis dicitur *l. 3. de Hist. c. 2. & 4.* Neque enim accidentalis potest esse rei finis, propter quem ipsa est inventa, neque extrinsecus & improprie, quem primo genuinus Historicus intendit. Recte ergo cum Luciano *Robortellus* sentit, finem Historiæ statuens narrare res gestas uti gestæ fuerint, juvandi gratia. Cujus rei indicio quoque illud esse potest, quod prudentiores gentium publico studio tantum operæ impenderint conscribendis rebus gestis, ut exinde posterius in similibus erudirentur. Atque hanc in rem diserte *Josepb. l. 1. contra Appion.* tradit, quanta cura & sollicitudo hac in parte fuerit Ægyptiorum, Chaldæorum, Phœnicum; *siquidem, ut ait, multam prudentiam habuere, ut nihil horum, quæ apud eos aguntur sine memoria relinqueretur, sed in publicis conscriptionibus semper à viris sapientissimis dicerentur.* qua in re simul Græcorum perstringit negligentiam, dum de dissensu illorum Historicorum tradit causas. Conf. etiam de communi Judæorum industria in conservandis monumentis rerum gestarum. Hoc quoque imitati Principes. ex. gr. Mauritius, de quo *Suidas μέγανδρος ἱστορικὸς* Historicus. *Svetonius quoque in Caligula:* inter ea quæ de ipso quasi de principe narrat *c. 16. Titi Labieni, Cordi Cremutii, Cassii Severi scripta SÆTIS requiri & esse in manibus lectitarique permisit, quando maxime sua interesset, ut facta quæque posteris tradantur.* His quoque accedunt querelæ sapientum virorum, quibus negligentiam accusant Resp., quæ studio Historico minimum tribuant. Ita *Foxius de Instit. Hist.* prolixè Hispanos arguit hujus vitii, & ostendit quanto cum damno non solum patriæ, sed totius humani generis ejusmodi contemptus Historiarum sit conjunctus. Sic quoque facundè *Polo-*
nos perstringit hac de causa Fredro in præfat. libri gestorum po-

puli Poloni sub Henrico Valesio; Et ante eum Dlugosus ad Zbignevum, & Michovius ad Lectorem in Chron. Petricius in pref. Historie sue ann. 1620, 1621. sunt etiam qui propterea non vernacula, sed illa lingua scribendam velint Historiam, qua maxime ejus usus diffundi, & plurimi hujus finis possunt reddi participes, quod sane viri dexterrimi subinde sunt imitati.

XVII. Verum magis ex ipsis Historicorum testimoniis probari potest, finem Historiarum esse fidem facere de rebus gestis in exemplum. Etenim hinc imprimis ab omnibus Historicis qui aliqua laude claruerunt illud observatum, ut ea scriberent, quæ quam plurimis in vita civili prodesent. Polyb. l. 2. it. l. 3. Justin. in pref. Livius item in proem. Tacitus sub init. primi Historiarum. Ideo ipsi plerumque Historici de usu Historiæ in civili vita præfari solent. Polyb. librum primum ita orditur: si ab iis, qui res gestas ante nos scripserunt, laudem historiæ prætermisam esse contigisset, fortasse necessarium videretur, ut universos ad suscipiendam capessendamque Historiam hortaremur, cum nulla hominibus ad vitæ institutionem via facilior sit, quam rerum ante gestarum cognitio. Verum cum non aliqui, neque aliquatenus, sed omnes hoc principio, hocque fine utantur, ut veram disciplinam exercitationemque ad res civiles historiæ cognitionem esse dicant, eamque solam ob exemplum alienorum incommodorum effectricem & magistram, ut quis possit fortunæ varietatem æquo animo ferre: Profecto neminem judicaturum necessarium fuisse, ut de iis quæ rectè & à multis dicta sunt denuo sermo haberetur. Diod. Sic. in proem. Magnas merito gratias scriptoribus homines omnes debent, qui suo labore plurimum vitæ mortalium profuere. &c. Dionys. Halicarn. Antiq. Rom. l. 1. c. 6. usum historiæ facit, ad Honestum in citare posteros. Et c. 8. prudentiam civilem. Sallustius vero de Bell. Jugurth. postquam capitibus prioribus vitia Romanorum perstrinxerat. Caterum c. 4. inquit, ex aliis negotiis, quæ ingenio exercentur, imprimis magno usui

usui est memoria rerum gestarum &c. Nicet. Choniates proæm.
utiliter inventa sunt Historia &c. Eleganter quoque Plutarch. l.
de liberata urbe Thebis & de Socr. Demonio: qui vid.

CAP. III.

DE SCOPO ARTIS HISTORICÆ.

§. I.

FInem ergo vidimus hujus artis, fidem de rebus gestis facien-
dam in exemplum; Sed ille finis ulterius reduci potest ad
ultimum aliquod inter humana bona perfectissimum. Egre-
gius enim rerum ordo ubique deprehenditur, ubi imperfe-
ctiora perfectioribus, perfectiora sunt subordinata perfectis-
simis: Atq; uti res ipsæ, ita etiam rerum causæ habent gradus-
quibus aliæ aliis subordinantur; Id quod liquido apparet in
Finibus, ubi unus est propter alterum, alter propter alium,
donec perveniatur ad perfectissimum: Præprimis hæc subor-
dinatio in finibus, qui sunt artium est clarissima: fines enim
artium instrumentarium subordinantur finibus utentium,
hi finibus architectonicarum. Omnes vero artes subordinan-
tur prudentiæ civili, utpotè cujus sit prospicere, quibus & qua-
libus civitas indigeat; de quo *Socrates ap. Platon. Dial. 2. de*
Rep. prolixè disferit; Cum aliàs facile inde detrimentum aut
obstaculum civibus, quo minus ad finem suum perveniant,
atqui de hoc Politicæ in artes imperio idem Plato legi mere-
tur. *Dial. 3. & 8. de Rep. Dial. 2. de ll. conf. Limnaus de I. P. G.*
l. 4, 8. §. 298. seqq. l. 8, 4. §. 24. seqq. Seldentus de I. N. & G. juxta
Hebræor. statuta l. 2. p. 137. it. c. 6. & 7. l. c. & l. 4, 5. l. 6, 11. Cum
ergo & nos de Historia simpliciter sic dicta, sive civili, artem
probaverimus; ex illo, inquam, quod Historica ars sit, sequi-
tur quod & ipsa sive ejus finis subordinatus sit fini prudentiæ
civilis

civilis architectonico. Neque enim minori circumspectione opus est, ut prudentia ad hanc artem attendat, quo ejus usum & quidem proprium atque rite obtineat, quam in aliis ipsam facere videmus. Neque enim solum multum commodi ex Historiis ad Remp. redundat, sed etiam neglectus ejus non mediocri damno eandem afficit. Siquidem novimus ex actis publicis, quantum sæpe malorum abusus Historiarum excitarit, dum Historiæ in libellos famosos degenerarint, atque inde bello etiam aliquando ansam dederint, prætextus certè fuerunt. Plura etiam damna Rebusp. invexere libri lasciviæ & turpitudinis pleni, ubi non tam notantur vitia quam commendantur; quin & levitatem animis legentium ingenerarunt, qui minutias Historicorum more conscribere aggressi, turpiter artem hanc prostituerunt, & reddiderunt despectam.

II. Historia ergo fidem facit de rebus gestis in exemplum, ut homines colligendo bonos ex pulchris actionibus eventus, ex pravis vero malos, ad S. B. contendant. Atque hoc nostrum asertum illud potissimum probat, quod cum sermo homini præcipuò datus, ut ad finem rerum humanarum in societate civili commode pervenire possit; distinguendo justum ab injusto, utile ab inutiles, illudque significando suis civibus facultate sermonis, qua tanquam peculiari ornamento à reliquis brutis animantibus distinguitur: quippe in quæ sermo non cadit, quod illo non opus habeant, cum nec perfectam ineant societatem, ad res præclare gerendas, ut homo facit. Hæc cum ita se habeant, quod sermo homini sit datus ad excolendam societatem civilem, sequitur etiam, quod artes quæ sermonem humanum excolunt, propter eundem finem primo sint institutæ. Ita etiam Rhetorica, quando quidem & ipsa facultatem sermonum exercet, cum primum homines propterea inter se miscerent Sermones, ut mutua sibi darent consilia, quo felicius sua expedire possent negotia: Hinc cum
incre-

incremento civitatum cum majori usus erat facundia, ars hæc etiam propter quem cæperat finem, perfecta est; nempe ut suprema potestas vel ad subditos vel ad externos consiliis regendos commode ministerio linguæ uti posset. Similiter etiam Poëtica atque Musica, quæ etiam linguæ beneficio humanæ vitæ inserviunt, primo propter usum civilem ortum simul & incrementum duxerunt; ut nempe rudes animi eo facilius præberent aures recta monentibus, & consilia sana admitterent, quæ in concionibus aut legibus à suprema potestate ad communem salutem decernerentur, quam in rem egregius est locus *Strab. l. I. Geogr.*

III. Duplici autem modo ad Scopum illum Finis Historiæ reduci potest; vel eo modo ut exemplis collectis Philosophiæ civilis dogmata illustret, vel ut proximè habitibus sive moralibus sive intellectualibus comparandis plurimū conferat. Quoad prius, cum omnis doctrina ex antecedente fiat cognitione, uti ex *I. Post. I.* docemur; ex cognitione confusa, quæ est notior nobis: talis sane est cognitio exemplorum. Non enim hic ut in præceptis fieri solet, accuratè omnia resolvuntur, neque rigor verborum in declarando illa attenditur, sed totum corpus exhibetur, quod ita facilius rodibus se conspiciendum præbet. Et jucundior hic modus etiam in doctrinis celebratur, qui est per ejusmodi exempla, quod circumstantiæ ibi plurimæ diversas admittant digressiones, ut animi varietate rerum recreari commode possint. Simul etiam quod delectet, rem ipsam quam intendis, præsentem quasi jam ante inspicere & contueri; unde major alacritas ad ipsum studium simul accedit. Præterea quia facilius est particulare quam universale cognoscere, exempla autem sint particularia maxime; ideo hæc tanquam facilia lubentius complectimur. Inde etiam illorum cognitio tanquam facillima primo omnium erit præmittenda. Quod si in aliis facultatibus obtinuerit, multo magis

magis id in illa obtinebit scientia, cujus propriè usui sunt exempla destinata, & unde nomen fere sortiuntur. Proprie autem exemplum, teste *Quintil. l. 5. Instit. Orat. c. 11.* est rei gestæ; Ergo illa etiã scientia, quæ de rebus gerendis tradet, cognitionis suæ originem recte ab exemplis sumet. Et facilius perceperit is doctrinam severiorem Philosophiæ Practicæ, cujus pectus prius multis illustratum exemplis.

IV. Atque exinde peculiare quoddam exortum docendi civilia genus, pluribus creditum. Quidam verò in *Disputat. sua de Historia* (supra cit.) illud characteristicum putavit dictum. Quocum facere non possumus, quippe qui novimus quidem fuisse genus docendi Philosophiam civilem, characteristicum, sed distinctum ab Historico. *Hornejus in proæm. Eth.* quidem tria solum genera doctrinam Practicam explicandi apud veteres observavit: dogmaticum, Paræneticum & Characteristicum; Uberius autem de genere Characteristico simul & de aliis disserit *Casaubonus in Theophrasti characteres* sed ut Historicum à characteristico distinguat, planius autem rem explicat *Gasp. Scioppius in pædia Politices p. 31.* ubi Ethicam s. moralem Philosophiam partim regularem facit, partim exemplarem, & illam quidem vel dogmaticam, quæ dogmata s. decreta, vel paræneticam, s. pædagogicam, quæ præcepta vel paræneses aut cohortationes tradit, hanc autem vel characteristicam vel historicam vel fabularem. *Historica, inquit, est, quæ vera aliorum exempla sic narrat, ut ex eorum, quæ rectè ac secus facta sunt, eventis, gloria puta & infamia, utilitate ac damno quid faciendum fugiendumq; sit, addisci queat. &c.* Atq; ea est amplitudo Historiæ ut quidem exemplis suis omnem Philosophiam moralem rectè illustrare possit, quod sane *Polyb. l. jam cit. ex l. 1.* innuit, & *Valer. Max. in scriis* dictorum factorumque memorabilium libris, re ipsa ostendit, de quo etiam in prologo præfatur; Illustrius ejus rei experimentum dedit
Joann.

Joann. Conrad. Dürrius in sua Ethica paradigmatica, in cujus prooemio plurima egregia habentur quæ conf. Idem confirmat Possevinus biblioth. l. 16. sect. 2. à c. 3. usq. ad fin. qui ad Herodotum, Thucydidem, Xenophontem, Polybium, Dionysium Halicarn., Diodorum Siculum, & alios Græcos annotat illos hoc observasse, ut ad Philosophiam Practicam informarent homines exemplis. Xenophon sane, inquit, teste Quintil. l. 10. c. 1. & Cic. epist. 1. ad Q. Fratrem. magis inter Philosophos quam Historicos recensendus est propterea &c. Hunc usum quoque Patritius Dial. 9. agnovit, qui etiam prolixè secundum divisionem Politicæ omnia exempla Historiarum digeri posse ostendit.

V. Et alias satis clarè per Inductionem probari posset, quod Historia de omnibus rebus, quæ in civili Philosophia traduntur, etiam exempla suggerat, sive illa sint de fine rerum humanarum, de illa actione secundum virtutem perfectam in vita perfecta, quod satis jam probavit *Dürrius* in laudata Ethica paradigm. sive etiam de mediis, quæ faciunt ad obtinendum illum, quæ Politica specialiter sic dicta tradit. Hinc enim *Livius* in prooem. ad illa mihi pro se quisq. acriter intendat animum &c. Cum quo conf. *Sallust.* de bell. Inguurb. c. priora quatuor. *Francisc.* item *Robertellus de Hist.* Quod de mediis exempla tradat Historia & ex *Platon.* 3. Dial. de LL. est discere, ubi de constitutione Reip. Lacedæmoniorum, Argivorum, Messeniorum disserit; quomodo igitur, inquit, & qua ratione dissoluta est? Nonne consideratione dignum apparet, quenam fortuna tantam ac talem constitutionem evertit? Nunquam profecto aliud considerans quispiam vel leges vel Resp. alias intelligere poterit, quibus pulchræ magnæque res serventur, vel contra perdantur, si ista neglexerit. Ita etiam ex *Arist.* 1. Rhet. 4. *Polyb.* l. 1. cum dubium proposuisset, cur Romani sua tempestate — non tantam uno tempore classem conficere valerent ut olim: Re-

spondet hoc modo: *Verum ejus rei, inquit, causam facile licebit intelligere, cum ad expositionem Reip. Romanae morumq; atque institutorum ejus ventum erit &c. idem conf. sub init. l. c. hac ratione Dionys. Antiq. Rom. l. 1. c. 30.* Historicae descriptionis facit etiam modum administrandae reip. &c. 8. promittit se hoc observaturum in Antiquitatibus Romanis. ut & *Polyb. l. 1. Quis — nosse refugiat, quo modo, quove Politiae genere universe totius ferè orbis nationes domita.* Confer. hanc in rem *Balduin. prolegom. l. 2. prolixè.*

VI. Illud ergo nunc videndum, quomodo Historiae finis, ad ultimum referatur Bonum, conferendo proximè aliquid ad habitus virtutum moralium, quam intellectualium. Et quidem quomodo primo virtutes morales adjuventur ab Historia civili, patere potest, si inspiciamus illarum rationem, quæ vult ut maximè per consuetudinem comparentur; Et cum consuetudo sit, quando simile soepius ago, ut verò simile agam soepius facit conversatio, quando alios, quibus cum vivo, idem agentes video, quippe cum homo sit animal *μιμητικόν* teste *Arist. de Poët. c. 4.* imprimis quibus cum convivit, illorum actiones crebrius imitando exprimit, atque suas facit consuetudine æmulandi. Quapropter *Plato dial. 3. de Rep.* vult custodes suæ civitatis illiberalia neque facere, neque imitari posse, neq; aliud quicquam turpe; *Ne, inquit, ex ipsa imitatione tales efficiantur, quale id quod æmulantur. Annon animadvertisti, pergit; imitationes si à teneris annis incipiant, perseverentq; in mores & naturam abire, tum quantum spectat ad corpus, tum ad vocem, tum ad cogitationem ipsam. vid. seqq.* quid virum bonum imitari deceat. Hæc, inquam, cum ita sint, quod virtutis moralis habitus consuetudine potissimum comparetur, uti sanè docet apertè illa provida cura prudentium, qui ideo à teneris in educatione ad consuetudinem maximè attendunt, quam in rem legi possunt *Plato Dial. 2. & 8. de Rep. Dial. 7. & 8. de ll.*

de ll. Propterea quidem consilium illud fuit admodum prudens, cujus *Kobierzicki in hist. Vladislai l. 1.* meminisse, quod Scarga scripserit vitas sanctorum — ut Vladislaus in hoc volumine prima legendi deponeret rudimenta: parallelum *de Philippo III.* offert, qui à vita Lojolæ Hispanicè scripta lectionis initia auspicatus. Et huc illa conditio Regis Galliæ inter articulos matrimoniales Regis M. Britannia & Henriettae Mariae respexit, quæ *in ministerio Richelii ita habet: Liberi ex isto matrimonio orti, à Matre in religione catholica usque ad annum ætatis 13. aluntur, instituuntur.* Simul etiam consule eventum rerum optimum magistrum. Atque insuper exempla docent tantam esse vim consuetudinis. Egregium illud est *Piasecii in Chron. de Lesniowolskii dicto*, cum ex Svecia Sigismundum III. adduxisset: *Adduximus, inquit, vobis rasam tabulam, qualem habitum illi primum impreseritis, talem semper habebitis. Et verè dixit: Nam cum isti monitores à principio instruxissent regem, ne rogantibus aliquid unquam responderet, nisi cum ipsis prius rem contulisset, eum tam taciturnum & tardum ad responsa formaverant, ut etiam custodibus remotis liberior in ætate quoque maturiori, & in senectâ ad interrogationes taceret, nec aliquid nisi post repetitas longo intervallo petitiones agre responderet; quæ remora gravissimarum sæpe rerum momenta ipsi intervertit — ut singulis negotiis statas horas per omne vitæ tempus dederit.* Ita & *Joan. Herburtus de Fulstini Hist. Polon. l. 20. c. 1.* probat exemplo Sigismundi I. quod ad vitam sic vel sic degendam longe plus faciat, quomodo quis à puero educatus & institutus, quam quomodo natus sit. *conf. c. 12.* Unde *ap. Valer. Maxim. l. 7. c. 2.* Creteneses cum acerbissima execratione adversus eos, quos vehementer oderunt, uti voluerunt, dicuntur optasse, ut mala consuetudine delectentur. Et ratio est in promptu cur tantum valeat consuetudo, quam *Rhet. l. c. 10.* legere est, *jucunda, inquit, sunt ea quoque, quibus assuevimus. Nam & tanquam naturale*

turale est id, cui assuesacti sumus, & natura simile quiddam est con-
svetudo. Etenim saepe & semper inter se vicina sunt, natura autem
ejus est quod semper: consuetudo ejus quod saepe. conf. Eth. l. 2. c. 1.
 Imprimis verò potens est consuetudo si conversatio illam exci-
 tat & alit, *Lubienski in vitis Episcoporum Plocensium n. 54.* de Pe-
 tro Duninwolski exemplum habet, quantum ille aulae Hispani-
 cae moribus fuerit imbutus, cum per decem annos in illa
 mansisset. Simile habet *Tbuan. hist. 34.* de Poltroto. Hinc de
Linda in descript. orbis: de quinque peccatis Bramidarum, quo-
 rum remissio difficilis est: 1. cum matrè rem habere. 2. Bra-
 midam occidere. 3. aurum furto auferre. 4. ebrium esse. 5.
 cum illis conversari, qui talia faciunt. *Diod. Sicul. l. 4:* quod
 conversatio cum Barbaris barbaros faciat. Optimè enim *Plato*
dial. 5. de LL. natura & educationis pravitas ita corrumpit, ut
nisi quis segreget sanarum integrorumque morum ac corporum ge-
nus, in singulis contagione interimant. conf. dial. 2. de LL. ubi o-
stendit, quomodo conversatio malos faciat. conf. Seldenus
quoque de jure natura & Gent. juxta Hebraeor. statuta l. 2. c. 5.

VII. His præsuppositis facile est perspicere, quomodo
 ex Historiis possit comparari Habitus virtutum Moralium:
 nempe cum Historias legere nihil aliud sit quam conversari
 cum iis, qui res eas gesserunt: siquidem & loquor cum illis &
 facta eorum inspicio, atque admiror aut indignor, gaudeo aut
 doleo; omnia ita ferè ago, ac si præsens interessem. Extali er-
 go conversatione, si ego illorum egregia facinora imitor, con-
 svelcam necesse est, similia illis agere; si flagitia detestor, ab-
 horrere assvelcam à vitiis. Imprimis exemplo optima si repo-
 nam alta mente; Non enim aliàs ut *Philos. 1. Decon. 6.* habet,
 potest fieri bona imitatio sine bono exemplo Tantum verò
 exemplorum ad syadendum ut similia agam sæpius, esse valo-
 lorem, illud etiam ex *1. Rhet. 2.* demonstrari potest, ubi Philo-
 sophus dicit, quod oratoriae dictiones, aliæ exemplis, aliæ
 enthy-

enthymematis abundant. Atque ad persuadendum quidem, inquit, non minus valent, quæ exemplis abundant. Sect. 18. probl. 3. cur homines in orando (ἐν τοῖς πηρογείαις) exemplis & fabulis potius gaudent, quam commentis (ἐν ὑμνήματι)? an gaudent, quia & discunt, & celeriter discunt. Atqui per exempla & fabulas facilius discitur. Sunt enim quæ explorata habeantur, & particularia sint. ratio autem commentandi (ἐν ὑμνήματι) demonstratio ex universalibus est, quæ minus quam partes novimus. Ad hæc us credere magis solemus, quæ plurium testimonio confirmantur. Exempla autem & fabella testimoniorum speciem gerunt: fides autem perfacilis est, quam testimonium fecerit: Ad dicitur, quod verisimile quisque libentius discit: exemplum autem & fabella rem non nisi similem docent. Salvian. l. 3. contra avarit. — sed ostendi id vobis forsitan non solis virtutibus rerum, sed etiam autoritatibus exemplorum desideratis — sed tamen si adjuvari se etiam exemplis hominum humana optat infirmitas, scilicet quo facilius etiam ipsa nunc faciat, quæ alios fecisse ante cognoscat &c. similia nobis exhibentur ap. Quintil l. 12. Inst. orat. c. 5. ubi vult oratorem abundare exemplorum copia, tum veterum, tum etiam novorum. Adeo ut non ea modo, quæ conscripta sunt historiis aut sermonibus velut per manus tradita, quæque quotidie aguntur, debeat nosse: verum ne ea quidem, quæ sunt à clarioribus poetis ficta negligere. Nam illa quidem priora, inquit, aut testimoniorum, aut etiam judicatorum obtinent locum — sciat ergo quamplurima: unde etiam senibus autoritas major est, quod plura nosse & vidisse creduntur, quod Homerus frequentissime testatur. Sed non est expectanda ultima ætas, cum studia præsent, ut quantum ad cognitionem pertinet rerum, etiam præteritis seculis dixisse videamur. Et l. 5. c. 11: Potentissimum autem est, inquit, inter ea, quæ sunt huius generis, quod proprie vocamus exemplum, id est, rei gesta, aut ut gesta, utilis ad persuadendum id quod intenderis, commemoratio. vid. &c. Verum
idem

idem indicant damna ab exemplis pravis non solum uni Reip.
sed fermè toti generi humano, certe integris regionibus data
uti ex *Emmio de Corcyraeorum Rep. & Curt. 8, 3.* colligi potest.
Atque ita alias acriter à prudentibus cautio adhibetur, ut di-
stinguant, quæ scelera exemplo suo multos invitare possint, il-
laque eo magis puniunt. *Petricius in Histor. biennii Polonica,*
de perfidia Wallachi in Gratianum Principem: Vid. *conf.*
Sveton. Domit. c. 14. Thua. H. 32. & 34. Liv. l. 3, 50. l. 25, 4. 3. Justi:
18, 3. Hanc eandem ob causam, nunquam admittuntur, in be-
ne constituta Rep. nova consilia, quæ exemplo lædere pos-
sunt. *Liv. l. 3. c. 72.* De iudicio Populi Romani in controver-
sia Aricinorum atque Ardeatium: *Conf. l. 4, 13.* Atque exstat
hanc in rem ap. *Sallust. de bell. Catil. c. 51.* in Cæsaris oratione
gravissimè dictum: *Vos Patres Conscripti, inquit, quid in alios*
statuatis, considerate; omnia mala exempla ex bonis initiis orta
sunt: sed ubi imperium ad ignaros, aut minus bonos pervenit,
novum illud exemplum ab dignis & idoneis ad indignos & non
idoneos transfertur. Illuque declarat pluribus, Et ap. *Vellej. Pa-*
terc. l. 2. c. 3. de morte Gracchi: *Hoc initium in urbe Roma civi-*
lis sanguinis gladiatorumque impunitatis fuit. Inde jus vi obrutū,
potentiorque habitus prior, discordiaque civium, antea conditioni-
bus sanari solita, ferro dijudicata. Bellaque non causis inita, sed
prout eorum merces fuit. Quod haud mirum est. Non enim ibi
consistunt exempla, unde cœperunt, sed quamlibet in tenuem rece-
pta tramitem latisimi evagandi sibi viam faciunt. Et ubi semel re-
cto deërratum est, in præceps pervenitur: Nec quisquam sibi pu-
tant turpe, quod alii fuit fructuosum. quantum, inquam, exem-
pla moveant, illud imprimis regentium ostendit vita. Unde
Plato dial. 4. de LL. quod non multo labore nec longo tempo-
re tyranno opus sit, civitatis mores mutare volenti. Nam sive
ad virtutis officia sive contra cives perducere velit, ipse primus
viam, per quam sequantur cæteri ingrediatur oportet omniaq;
in

in se ipso primum expressa præscribat agendo — *Nemo vobis persuadeat o amici, aliter unquam citius & facilius quam Principum exemplo leges in civitate mutare. Cum quo conf. Politica Reminiscencia ad Minister. Richelii l. 11. c. 4. conf. etiam l. 10. c. 32. Ministerii. Et Dionys. Antiq. Rom. l. 1. c. 59. notat, quod subditi regentium exempla statim imitentur. vid. ex. gr. & l. 10. c. 69. notat, quantum Decem-Viri suo exemplo nocuerint Romanis. Ita progressu temporis factum, inquit, ut plures in urbe corrupti ac vitiosi essent, quam sani. Conf. Decius in Corp. Hist. Pol. To. II. de Sigism. I. Occurrunt etiam similia ap. Tbuam. hist. 10. & bist. 21. in Carolo V. laudat, quod cum vita principum suis pro exemplo sit, ut si quid peccaverit, clam & in occulto peccaverit. Ideo Tacitus 4 bist. diutius durare exempla quam mores tradit. Quod Justin. l. 18. c. 1. facto Pyrrhi probat. conf. l. 25. c. 2, ut Gallos ad invadendam Macedoniam exemplum Belgii invitarit,*

VIII. Ita ergo virtutum Moralium habitum comparari posse ex lectione Historiarum patet: An verò etiam Habitus Virtutum Intellectualium Practicarum itidem ex Historiis conciliari possint, inquirendum est, & qua ratione id commode fiat. Constat verò quod uti Moralis virtus potissimum ex consuetudine existit, ita intellectualis maximè experientia comparetur, uti videre est ex 2. Eth. 1. l. 6. c. 7. 8. 11. l. 10, 9. Propterea Plato dial. 2. de LL. usus rerum quem ab ætate habemus, omnium quidem civilium magnam quiddam ubique est & optimum. Id quod etiam agnovit Terent. in Adelph. act. 5. sc. 4. Nunquã quisquam ita subducta ratione benè ad vitã fuit, quin res, ætas, usus semper aliquid apportet novi, aliquid moneat, ut illa quæ te scire credas, nescias, & quæ tibi putaris prima, experiendo repudies. Quod si ita est, ut virtutes intellectuales potissimè experientia comparentur; experientia verò fit ex memoria de eodẽ sæpe facta 2. Post. 19. sive ex observatione rerum singulariũ. Vid. Philosophia Altdorff. disp. 11. Piccart. th. 29. 30. De civilibus

K

sand

sanè non magis datur memoria aut crebrior actionum singularium observatio, quam in Historiis, quæ actiones singulares unice exponunt. E. etiam experientia rerum Politicarum ex historia maximè exsurget. Quod verò tanta experientiæ & historiæ affinitas, illud *Galen. de sect. ad eos qui introducuntur* & *de optima secta*, locis alibi citatis exponit. Consentit *Eustratius in 6. Eth. c. 11.* Hoc autem est, quod inquit, oportere eum, qui ex recta ratione in civitate aliquid acturus est, multa præditum esse experientia, multa vidisse ac passum esse, iis quæ cognoscit sigillatim attendere atque animum advertere. Qua re facta, quid evenerit, quomodo homines in vita actionibus se gerentes, quales evaserint, quomodo consuetudine aliorum vel juverunt, vel nocuerint. Et omnino singula observare, quæ vel ex se vel aliunde hominibus contingere consueverunt, ut hoc pacto multarum operationum, multarumque actionum atque affectuum peritia comparata oculum acquirat, quo conjicere & dispicere etiam quæ in futurum evenitura sunt, rectè valeat. Talis enim atque ita absolutus est, qui revera est prudens. &c. conf. *Cic. Orat. §. 120.*

IX. Quodque hic usus ex lectione Historiarum maximè obtineatur, nempe quod experientiam ex cognitione rerum sibi quis acquirat, de illo plurimi testantur Autores. Facundè hanc in rem *Vir illustis Fredro Fragm. 1. monito 24.* disserit: ubi probat, quod lectis historiis aliquis omnibus veteranis militibus, quantum hi tyronibus præstare possit. Et in *Hist. Henrici Valesii* prolixius & acutius. Tradit quoque similia hanc in rem *Conring passim in propolit. c. 9. & 10. Et de civili prudentia c. 7. & 14.* Item alii plurimi *Patricius, Foxius, Robertellus, Viperanus &c.* sed ut antiquos consulamus, inter illos *Polybius l. 3. sed non deërunt fortasse, qui hæc parum considerantes me supervacuo censeant hujusmodi rationes adeo diligenter inquirere. Ego vero ita sentio si quis omnibus necessariis ita instructus sit, ut nulla re extrinsecus egeat, huic jucundam quidem, non tamen fortassis necessariam fore præteritarum rerum cognitionem.*

nem.

nem. Si quis autem id neq; in privatis neq; in publicis rebus affirmare ausit, cum homo sit ad presentem felicitatem, ut sunt humana res fluxa & instabiles, labi posse intelligat, non modo jucundam, verum etiam necessariam rerum gestarum peritiam dixeris. Etenim quo pacto quispiam vel illata sibi vel patrie injuria socios atq; adjuutores ad eam propulsandam invenerit, vel novis rebus studens, alios in sententiam suam traxerit, vel prosperè cadentibus cunctis suorum animos rectè confirmaverit? nisi ut singula quæq; à majoribus viris gesta sunt cognitum perspectumq; habuerit & c. conf. Philo de sacrif. Abelis & Caini.

X. His accedit, quod non solum eruditi, sed etiam prudentes ex Historiarum lectione plurimi redditi. Eruditionem ex Historia testatur Θέων Suid. quod brevi temporis spatio maximam eruditionem sibi comparaverit (πολυμαθής) multas antiquas historias, multas etiam novas animo complexus. Prudentiam verò ex eadem testantur Philopœmen de quo Suid. Φιλοποίμην — Legebat enim libros sapientia præstantium, & clarorum virorum apud Græcos, & quæcunq; ad bellorum monumenta spectabant, & si quod opus norat habere stratagematum doctrinam, ut bellorum monumentis edoctus & imperatoriis artibus instructus, hostem facilius falleret, eoq; superato, gloriam consequeretur. Ita etiam Lucullus, Scipio Africanus, Alexander Severus, Zenobia, Matthias Corvinus Rex Ungar. Alphonsi, Bathoreus & plurimi alii, in rerum cognitione leguntur suam prudentiã maximam partem acceptam tulisse studio Historiarum. Kobierzicki in hist. Vladislai I. de Zolkievio: Namq; non ab usu tantum, sed à continua historiarum veterum recentiumq; lectione instructissimus facile expediebat consilia. Thuan. hist. 21. de Carolo V. Cautior tamen interdum Casar & supra quam in illa fortuna decuit, versutior plerisq; visus est, ob idq; historia lectione Ludovici XI. à Philippo Comineo prudentissimo Equite scripta delectatus fuisse perhibetur: in qua ut multa prudentiæ præcepta tradi inficias non ierim, ita plura minus ingenui atq; parum regii animi exempla reperiri minimè

negari potest. Atq; ex hoc quidem etiam probari potest magnā vim esse Historiarum ad ingenerandā prudentiam, sicuti etiam ex abusu ejus vitiorum habitus conflare possunt. Quam in rem quoq; putarem Domitiani exemplum posse adduci ex Sveton. c. 20. qui de illo tradit, quod liberalia studia in initio imperii neglexerit — nunquā tamen aut Historia carminibus vè cognoscendis operam ullam aut stylo, vel necessario dedit. Præter commentarios & acta Tiberii Caesaris nihil lectitabat. Nempe ejus etiam induerat mores. (de Abusu verò Historicorum in Politicis ex. gr. Taciti. conferri potest Strada l. 1. prolusion. 2.) Ex Sallustio jam ante hanc in rem exempla dedimus. Tacitus quoq; l. 2. Ann. egregia de Germanico adducit: Quod forsam, cui Drusianæ nomē, ingressus precatusq; Drusum Patrem, ut se eadē ausum, libens placatusq; exemplo ac memoria consiliorum atq; operum juvaret. Polyb. l. 2. de bell. Gall. Hic tandem belli Gallici finis fuit — quanquam & consiliis & inceptis & quotidianis deliberationibus prorsus inutile fuerit: Propterea quod Galli ira potius atq; impetu moveantur, quam ratione. Cur tamen de illis memoraverit, exponens subdit: id maxime proprium Historiæ existimantes, bujusmodi res casusq; fortuitos posteris tradere, ne forte nostri homines ejuscemodi rerum ignari, subitas ac temerarias Barbarorum irruptiones facile pertimescant: sed certi quam leviter eagens, post primos statim impetus, si quis ei obstiterit, infringatur & corruat, omnem potius fortuna eventum experiri malunt. — Equidem qui Persarum adversus Græcos, Gallorumq; contra Delphos res gestas scripserunt, plurimum profuisse arbitror ad certamina Græcorum pro communi patriæ libertate. Et certè nemo vel divitiis alicujus, vel armis, vel multitudine hominum deterritus, à patriæ & communis soli defensione desistet, si sibi ante oculos ponit, res ea tempestate gestas, considerabitq; quot millia hominum, quas vires, quantos deniq; apparatus, virtus cum ingenio & ratione pugnantium superarit, fregerit, profligaverit. Sed enim Gallorum terror non solum priscis temporibus, verum & nostra ætate sæpe numero Græcorum animos

INVU-

invasit. Quare me vel imprimis animavit, ut eorum res gestas referrem. Ideo etiam principibus viris maximè commendatur Historia. vid. Coricinius in perspectiva Politica regni Polon. elaborata. Fredro fragm. 1. l. c. prolixè lectionem antiquæ Historiæ Ducibus commendat: saepe audiivi & cum indignatione mirabar, velut per risum vulgo dictum circumferri: Imbellem neq; timendum ex libro bellatorem. Kobierzicki Hist. Vladisl. l. 1. Quanto cum fructu Vladislao IV. historiarum cognitio fuerit commendata. Porro huc faciunt plurima exempla consiliorum ex antiqua Historia desumptorum, sive quoad ἀμνησίαν, sive quoad gubernationem Provinciarum, Chrematisticam &c. quæ nimis longum esset recensere.

XI. Sed fere difficile sit sequi aliorum exempla, iisque in rem suam uti. Quam in rem Andr. Franck *nb. ap. Keckerm.* quædam exempla habet, ut quod Demosthenes quadam κακοζηλία Themistoclis consilium felix imitari voluit: & Græciam obiens colloquendo & instigando paucis exceptis, omnes populos ad conspirandum adversus Philippum permovit — reliquis hominum cogitationibus tenebras de periculis & cladibus secuturis offudit. Neq; enim eo tempore ille fuit status Græciæ & Athenarum: non ea mens, ardor & consensio, quæ erat tempore Themistoclis — Hæc igitur, quia non circumspexit, patriam non malitia, sed prava consilij Themistoclei imitatione in maximū discrimen coniecit. Idem de Cicer. ostendit, quod res suas præclarè gestas malè imitatus, existimaverit, se eadem celeritate Antonium & Antonianos oppresurum esse, quam Catilinam in Consolato, & ante huius mortem foedam complices illius oppreserat. Et uberius hanc in rem Vir πολιτικώτατος Fredro fragm. 12. κακοζηλίαν Pompeji notans, qui Sullam imitari voluit. Suidas Φιλοποίμην: In Philopemiene etiam ostendit difficilè esse exemplorum imitationem. Quamvis autem inquit, universam suam vitam ad imitationem & consiliorum & factorum Epaminondæ decrevisset institueret, nõ tam omnibus in rebus illi potuit exæquari. Nam Epaminondæ animus

cum aliis virtutibus instructus erat egregie, tum verò moribus maxime mansuetis, & ab iracundia remotis & alienis ornatus. At Arcas ille perturbationis hujus & affectionis erat particeps, & iracundus. Ipse quoq; Plato dial. 12. de LL. monet: quanta accurata intentione & cura opus sit, si quis aliarum gentium leges in suam Remp. traducere vellet. Et quod Quintil. Orat. Inst. l. 5, 11. de similitudine tradit, quod soleat fallere, eidemq; adhibendū esse iudicium: idem de exemplis potest dici, quod fallere solent. Contra tamen certū est, quod & optimè aliquando ab illis tanquam præjudicatis procedatur, & ut Ramilius in Orat. ad Senatum ap. Dionys. Halic. Antiq. Rom. l. 1. c. 58. habet: Non aliunde melius consilia petuntur, quæ in futurum profint, quàm à præteritarum rerū exemplis. Plato dial. 3. de LL. satis clarè demonstrat, quod summam rebus agendis facultatem afferant præteritorum exempla: Nunc autem, inquit, Deus ostendit, qualem oporteat, oportetq; potissimum constitui principatum. Quod quidē à nobis intelligi postquam factum est, nihil mirum. Non enim arduum est videre, si exemplo commonearis. At si quis id tunc prospexisset & c. vid. ex. gr. — Invehitur in Darium quod non exemplo Cyri edoctus fuerit, quæ in educatione Filii vitaret. Sed te nunc jure, inquit, appello Dari, qui Cyri malo communitus non fuisti, sed in iisdem Xerxem moribus educaisti, in quibus Cambysen Cyrus nutriverat. Et Ioan. Dlugoff. præf. ad Zbigneum Hist Pol. nō mediocriter, inquit, ad Remp. expedite gerendam refert scire, ut clara prædecessorum facta videamus & c. vid. Hancq; in rem illustris locus Dionys. Antiq. Rom. 11. c. 2. Politicis autem hominibus (in quorum numero ego Philosophos quoq; pono eos nimirum, qui Philosophiam non tam verborum, quàm rerum honestarum studio definiendam arbitrantur) voluptas illa, quam perfecta eorum, quæ res comitantur, contemplatio affert, cum reliquo hominū genere communis est. Sed solet præter eam voluptatē etiam magna sæpe numero utilitas ex ejusmodi rerum notitia ad Resp. in temporum angustiis redundare; Dum rationis ductus efficit, ut sua sponte intelligant
quid

quid expediat. Facillimè namque homines quid prosit aut obsit, animadvertunt, cum multa multorum exempla intuentur: Et iis, qui illa imitanda proponunt, magna prudentiæ sapientiæq; testimonium perhibent. Atq; ipse *Fredro fragm. 6.* consilia suppeditat, quomodo quis ex illis difficultatibus eluctari possit. Atq; hoc pertinet, quod habet *Balduin. l. 2. prolegom.* quomodo jurisprudentia distinctè requiratur ad exempla historiarum æstimanda, ne cum factis jus confundatur. Sed quomodo exempla facti & juris discernenda, ut plurimum ipsi Historici innuunt, cum iudicium suum addunt. ex. gr. *Livius l. 1. c. 46.* recitaturus scelus Tulliæ & Tarquini superbi: *Tulit enim, inquit, & Romana Regia sceleris Tragici exemplum.* Et *c. 48.* Fœdum inde inhumanumq; traditur scelus; sed accuratè hæc discernere Philosophiæ est.

XII. Posset distinctius probari, quomodo quælibet prudentiarum peculiariter comparetur ex historia, sed ne excreseat nimis hæc de Usu tractatio, pauca solum addam de Legislatoria seu Jurisprudentia: Quod huic multum conferat Historia patet vel ex eo, quod Historia præjudicia multa exhibeat, dum exempla offert. Atq; præjudicia quanti fiant, illud *Quintil. l. 5. c. 2.* ostendit, qui etiam *l. 3. c. 8.* usum exemplorum dicit nulli materiæ magis convenire, cum plerumque videantur respondere futura præteritis, habeaturq; experimentum, velut quoddam rationis testimonium. Idem *l. 5. c. 11.* ubi de autoritatibus disserit hanc in rem legi meretur. Et rectè ap. *Thuan. hist. 25. Hospitalius:* Non posse probare eorum sententiam, qui Veterum Senatus-Consultorum autoritati minus æquo tribuant, plus justo fiduciæ in suis ingeniis reponentes. Unde *Conring. de Orig. juris German. c. 34.* probat, quod ex consuetudine præjudicia curiarum juris autoritatem habeant, non minus in Germania, quam Hispania, Gallia & Italia. Et jam diu ille usus præjudiciorum fuit. Siquidem à primordio urbis Romæ per tria secula obtinuisse testatur *Dionys. A. R. l. 10. c. 1.* ubi habet: quod

quod Jus Consulium tempore usq; ad ann. U. C. 293. maxima ex parte constiterit Virorum potestate præditorum præjudiciis. Ex illo ergo quod præjudicia suppeditat Historia multum conferet jurisprudentiæ. Sed *Baldwin. l. 2. prolegom.* ubi conjunctionem historiæ universæ cum jurisprudentia operosè svadet, jurisprudentiam Historiæ universæ partem esse dicit. Idem verò cum laudat Ethicæ doctrinæ & Historiæ societatem de jurisprudentia habet, quod & hæc quædam esset pars Philosophiæ moralis. Verum ut illas controversias nostras hac vice quidem non facimus, illam tamen mentè esse Auctoris, quod jurisprudentia sit parum aut non admodum diversa ab Historia, liquere ex verbis ejus arbitramur. Sed tamen jurisprudentiã mirifice & indigere & juvari historiarũ monumentis idem & P. B. *Eugubin l. 4.* ostendit. Et *Keckerm. non multum à verò abluisse videtur c. 4. Comment. de natur. Hist.* Jurisprudentiam quoque aliquo modo referri ad Historiam indicat illud *Suidæ Νομοίσογες νομομαθεῖς. in Νομοίσογες Legum periti, JCTI.*

XIII. Tantus cum sit usus Historiarum, non inane est votum *Pæritii Dial. 2.* quando dicit: se non injuria Deum summis precibus sæpe numero rogasse, ut ipsum vel unius, aut alterius historiæ differentiarũ cognitione donaret, utpotè de Romanarum aut Græcarum rerum antiquitate, aut alia aliqua simili, quod vel iis se eruditissimum atq; prudentem fore speraret. Nos vero tandem ex his omnibus & priori cap. partem dictis concludimus, quod usus historiæ civilis proprius & ejus finis sit, ut exinde aliquis capere possit sibi quod ex usu sit, inspiciens tanquam in speculum in vitas omnium atq; ex aliis sumens exemplum sibi: hoc facito, hoc fugito, hoc laudi est hoc vitio datur, ut verba *Comici faciamus* nostra. Quod & *Livius exprimit* egregiè, quando monet ut ad exempla Romanæ historiæ pro se quisq; acriter intendat animum. Hoc illud esse præcipuè in cognitione rerum salubre ac frugiferum, omnis te exempli documenta in illustri posita monumento intueri, inde tibi tuæq; Reip. quod imitère, capias. Inde fœdum inceptu, fœdũ exitu, quod vites, ut ita ad scopum rerum Humanarum S. B. P. pervenias. quiq; hoc animo non ad historiam civilem accedit, ille ejus finem atq; usum proprium ignorat, de quo quod vulgo ita fiat justa *Machiavelli* legi potest querela in *proem. disp. de Rep. Romanorum ex 1. Dec. Livii.*

SI quis expedite usum Historiarum practicum suum facere velit, nempe ut sibi habitus virtutum comparet, præ aliis patria atq; domestica recte commendatur Historia; nempe & majus incitamentum ad mores, cum majorum nostrorum tanquam parentum imagines intuemur, quibus reverentiam debemus & amorem, magis quam exteris; Et facilior ad prudentiam via & dexterior, siquidem simul cum patria historia circumstantiæ se animis nostris clarius ingerunt, cum sint notiora, quæ patriæ loca, familiæ, auxilia &c. quam exterorū: Et deinde populares cum quibus mihi convivendum non tam peregrinis in consulendo, judicando, præcipiendo, assefaciendo, quam domesticis capiuntur exemplis. Ideo *Val. Max.* in suis de dictis factisq; memorabilibus plurima collegit Romanorum, externorū pauca admodum. Inde quoq; est *quod Caesar in illa orat. ap. Sallust. c. 51. de bell. Catil.* præterit externa exempla & Romana solum de bene vel male consultis adducit: *Magnā mihi, inquit, copia est memorandi P. C. qui Reges, aut qui Populi ira aut misericordia impulsī male consuluerint. Sed ea malo dicere, quæ Majores nostri contra libidinem animi sui recte atq; ordine fecere. vid. &c.* Proximè ob easdem rationes patriæ Historiæ jungendæ sunt sociorum, vicinorum res gestæ; Denique ejus, in qua quis constitutus terra peregrè, potissimū legat Historiam. Cum ita in notitiam reip. majorem pervenire possit, atq; promptius ob circumstantiarum pleniorē cognitionem, experientiam exinde ad suam Remp. recte transferat. Et pro domesticis quidem stabilendis illa *Ciceronis* militant, quæ ipse contra contemptores Latinorum scriptorum adstruit *l. 1. de Fin.* *Mibi, inquit, nulli satis eruditi videntur, quibus nostra ignota sunt.* Et ut idem satis mirari nequit unde hoc sit tam insolens domesticarum rerum fastidium; Ita & *Fredro fragm. 6.* cum illud ad hi-

L

storix

domesticis scriptoribus potissimum immoremur. Nam verè
mirari licet, ait, moderni temporis quorundam ingenia cum per ex-
teriorum instituta & mores vagantur, quo longius sunt à notitia
rerum patriarum, tum à majorum gestis, etiam remotius à recte
suadendo absunt & confundunt verius, non in rem consulunt; Fa-
teor quidem venustum esse narratione Livium, utiliorem tamen
nobis Dlygosum aut Cromerū, magis curiosum in res abditas prin-
cipum, Cornelium Tacitum, sed magis ad notitiam Poloniam conve-
nientem Orichovium — Plus nobis conferre scriptores nostrates,
dum domestica nobis loquuntur bona aut mala, casus & pro natu-
ra rerum remedia, prout succedere aut secus prout improbantur, a-
liena scire vitiositas est, sua vero necessitas, nam ad rem magis con-
ferunt & c. Et autor Compendij Politice novæ c. 15. stolidum esse o-
mnium Rerump. formam perscrutari Politicum, ubi vero vitam a-
Eturus sis, inquit, omnes perscrutari articulos, & tanquam Tuos
digitos tibi reddere familiares satagas. vid. seqq. Michovius in
Chron. Regn. Pol. præf. In omni Rep. summopere intendendum est,
virtutes incitare & prævia rudimenta locare, per quæ animus
subditorum assurgat, & tanquam infricatus incalescat, ex notis ad
incognita Heroum insignia facinora progrediendo. Quale incita-
mentum est veterum gesta ac Historias relegere & audire, præcipuè
sua patriæ. Quoniam natale solum magis allicit & incitat sui dulce-
dine. Nec immemores cunctos esse sinit, ut iuventus vid. & c. Ideo
etiam *Whear* l. c. p. 1. sect. 31. Anglos suos hortatur, ut *Speedæi*
theatrum Britanniaæ diligenter prius legant, quam regiones
exoticas peragrarè, gentes vè alienigenas invisere aggrediantur
— absurdum, ait, arbitror esse desiderium, aliena & longinqua
lustrare velle, citeriora & domestica prorsus negligere. Exteras ur-
bes & procul hinc remotas querere, nostras & proximas vix
semel vidisse aut nosse. vid. & c.

☉) : (O) : (☉)

Coll. dess. A 47, misc. 59